



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

7. Ioseph accipit Mariam conjugem sua[m].

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

AD ANNUM XXX.

MEDITATIO VI.

*Ioseph ab Angelo de divino Virgini-  
nis conceptu admonetur.*

I. **C**um esset desponsata mater IESU  
Maria Ioseph, antequam convenirent,  
inventa est in utero habens de Spiritu san-  
cto. *Matth. 1. 6. 18.*

II. Ioseph autem vir ejus, cum esset ju-  
stus, & nollet eam traducere, voluit occultè  
dimittere eam. *Matth. 1. 6. 19.*

III. Hæc autem eo cogitante, ecce An-  
gelus Domini apparuit in somnis ei, dicens :  
Ioseph fili David, noli timere accipere Ma-  
riam conjugem tuam : quod enim in ea na-  
tum est, de Spiritu sancto est. *Matth. 1.  
Vers. 20.*

IV. Pariet autem filium : & vocabis no-  
men ejus IESUM : ipse enim salvum fa-  
ciet populum suum à peccatis eorum. *Matth.  
1. Vers. 21.*

MEDITATIO VII.

*Ioseph accipit Mariam conju-  
gem suam.*

I. **H**oc autem totum factum est, ut adim-  
pleretur, quod dictum est à Domino

per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. *Matth. 1. v. 22. 23.*

II. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit, sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam. *Matth. 1. v. 24.*

III. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus IESVM. *Matth. 1. v. 25.*

### MEDITATIO VIII.

*Ioseph cum Maria conjugē suā  
proficiscitur Bethlehem.*

**F**Actum est autem, in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino. *Luc. 2. vers. 1. & 2.*

II. Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. *Luc. 2. v. 3.*

III. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de civitate Nazareth, in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eò quòd esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. *Luc. 2. v. 4. & 5.*